

B. C. D.

12
CASUM ÆGROTI
COLICA SATURNINA
LABORANTIS

CONSENSU
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO
GRADU DOCTORIS

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI


SUBJICIT

AD D. V. SEPT. MDCCLXIV.

IOANNES PHILIPPUS KOENIG

BUXOVILLA - HANOICUS.

H. L. Q. S.


ARGENTORATI

Typis IOANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

CASUM NEGROTI

COLICA SATURNINA

LABORANTIS

GRATISSIMI MEDICORUM ORDINIS

GRADU DOCTORIS

SOLENNI IURAMENTO

IOANNES PHILIPPUS KOENIG

PRINCIPIS HEREDITARIUM

The text is mirrored bleed-through from the reverse side of the page.



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

LUDOVICO

HASSIÆ LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDIÆ

COMITI

CATIMELIBOCI, DIETZIÆ, ZIEGENHAYNIÆ

NIDDE, HANOVIE, SCHAUMBURGI, ISENBURGI

ET BUDINGÆ

RELIQUA

SERENISSIMI

PRINCIPIS HEREDITARII

FILIO

NATU MAXIMO

PRINCIPI JUVENTUTIS

EXIMIO

AVITÆ PATRIÆQUE VIRTUTIS

HEREDI ET ÆMULO

GENTIS SUÆ DELICHS

DOMINO CLEMENTISSIMO

HAS QUALESUNQUE PAGELLAS

IN PUBLICUM

OSERVANTIÆ ET VENERATIONIS

DOCUMENTUM

VOTIS

PRO

SERENISSIMÆ DOMUS

PERENNI SALUTE

RITE NUNCUPATIS

SACRAS ESSE CUPIT

DEVOTISSIMUS CLIENS

AUCTOR.



C A S U S.



“F igulus 32 annorum, ante duo lustra derepen-
te & inopinato diris intestinorum cruciati-
bus fuit afflictus, præcessit eos alvi obstru-
ctio pertinax, quæ ægrum sub hisce dolori-
bus per quinque dies, omnibus licet va-
lentissimis remediis oppositis, vehementissime anxio; abdo-
men erat inflatum, durum, umbilicus vero miro modo
introtractus; accessit mox cephalalgia, vertigo, cardial-
gia, palpitatio ingens cordis, nausea, ructus & ipse vo-
mitus materiem viscidam, tenacem, viridescentem eji-
ciens, dolor sinistri imprimis hypochondrii, oppressio pe-
ctoris, asthma, inspiratio anxiosa, atque mingendi difficultas;
lingua erat squalida ac multo mucro tenaci obsessa, fæces,
alvo tandem soluta, habebant subnigrum colorem, erant
adustæ quasi & in globulos intortæ. In hisce miseris circum-
stantiis ægrotus auxilium imploravit Nosodochii hujus
Civitatis Experientissimi Medici Ordinarii, Domini
Jo. M. Воезм, cujus singularem prorsus mihi a longo
retro tempore concessum favorem atque benevolentiam
publice profiteri, ipsique prospera cuncta, pro innume-
ris in me collatis beneficiis, apprecari, nunquam obli-
viscar.

„viscar. Postquam hic Vir Experimentissimus in statum hu-
 „jus morbi inquisiverit, mox cognovit, sibi rem esse cum
 „Colica Saturnina, hinc ut ulterius genium morbi percon-
 „taretur, pulsum tetigit ægroti, illumque tardum, sub-
 „dum, æqualem tamen invenit, hunc in finem, pru-
 „denter, ut ipsi vena secaretur, suavit, dolores autem fe-
 „liciter debellavit oleosis, mucilaginosi, involventibus,
 „incrassantibus atque anodynis, laxantia quoque superad-
 „didit; hac medicatione a sua Colica feliciter liberatus
 „fuit æger. Curatæ Colicæ supervenit Febris tertiana in-
 „termittens, & hæc per digerentia, laxantia atque Corti-
 „cis Peruviani usum profligabatur feliciter. Per tres an-
 „nos dein incolumis vixit æger, suis laboribus iterum
 „fungens; hisce vero elapsis denuo Febre tertiana fuit
 „correptus, a qua cito satis, per eadem, quæ in priori
 „Febre adhibita fuere remedia sanatus, post quatuor hebdo-
 „madum intervallum Quartana fuit afflictus, quæ in Quoti-
 „dianam degenerans paullo post plane cessavit; inde per
 „sex menses sanus vixit æger, cum de novo intestinorum
 „cruciatibus corripereatur enormibus, quos exceperunt do-
 „lores artuum superiorum & inferiorum, vagi. Cujus
 „priori vice auxiliantes manus expertus fuit miser, quas
 „nunc melioresprehendere potuisset? Itaque rursus No-
 „sodochium intravit, & ea methodo, quam prima vice
 „salutarem est expertus, denuo ibidem fuit curatus. Sed
 „non multum temporis effluxit, quin de novo, Colica
 „correptus, Nosodochium adire fuerit coactus. Cum ve-
 „ro misera sua sorte semper cogereatur ad labores ipsi adeo
 „nocivos recurrere, non potuit non fieri, quin Colicæ
 „insultus quoque recurrerent, ita, ut quinta vice decem
 „annorum spatio Nosodochium adierit, & per memorata
 „remedia a gravissima Colica liberatus fuerit miser; reman-
 „sit autem tristis musculorum artuum Paralysis, cui dein
 „Cachexia atque Atrophia totius corporis supervenerunt.

„Id

„Id autem adhuc notamus, quod crescente numero inful-
 „tuum Colicæ, morbus artuum creverit, ita, ut, quæ
 „ultimo paroxysmo supervenit Paralysis, in prioribus sub
 „debilitatis modo specie fuerit annunciata. Verum nec
 „hoc prætermittere possum, quod, pro more hujus farinæ
 „hominum, cum non ita cito, ut speravit, a Medico ra-
 „tionali se curatum senserit, neglecto hujus consilio, sese
 „curæ certi cujusdam medicaltri commiserit, qui ipsi varia
 „remedia, quorum notitiam neutiquam potui acquirere,
 „propinavit, & non parum forsan ad majorem mali vehe-
 „mentiam contribuit. Somno gaudet præterea parco, no-
 „ctu copiose sudat, nec a quiete ulla reficitur æger.”

§. I.

Inter morbos, quibus vexantur mortales, certe non
 ultimum occupat locum Colica, a nobis modo memo-
 rata, *Saturnina*. Variis illam nominibus insigniverunt
 Auctores; *STOCKHUSIO L. V. de Lithargyrii fumo noxio*
Morbis metallicis audit, *Oenagra* *LENTILIO Jatromni*
p. 65. novum Rachialgiæ nomen dedit *SAUVAGES Nosolo-*
gia. T. III. P. I. p. 196. præeunte, ut dicit, *CEL. ASTRUC.*
Germanis die Hüften-Räse, aut, quia intolerabiles cru-
 ciatus ægotantem nonnunquam rabiosam felis circum-
 gyrationem imitari cogunt, aut, quia illi cruciatus felis
 rabiosæ in intestinis furentis speciem præ se ferunt, *Gal-*
lis Colique des Plombiers, Potiers, Peintres & Peintres
Barbouilleurs audit.

§. II.

Morbum, quo æger noster fuit correptus, veram
 fuisse Colicam Saturninam, evincunt symptomata, quæ
 in ipso fuerunt observata, quando ista cum eis, quæ cir-
 ca

ca hunc morbum apud Auctores annotata reperiuntur, conferimus, evincunt plumbi intus assumpti effectus, quos observarunt Auctores; cum etiam apud istos, qui hanc materiam tractarunt, vel symptomata occurrant a nostris diversa, vel talia, quæ nostro ægroto plane pepercunt, nobis haud absonum videtur, eadem prioribus addere. Artis Medicæ Parens HIPPOCRATES jam scripsit *Libr. IV. Epid. Art. 24. Qui circa sodinas versabatur, præcordia dextra contenta habebat, lien magnus erat, & alvus distenta aliquantulum indurata, inflatus fuit, decolor. Huic in genu sinistrum decubuit, morbi reversio facta est, in totum judicatione est absolutus.* GALENUS hunc locum quoque citat *Libr. 3 de difficili respiratione*, addens: *Utrumque enim contingere potuit, & difficultate spirandi vexatum, ob præcordiorum affectus, & ventrem flatibus distentum fuisse.* DIOSCORIDES *Mat. Med. Libr. de Venenis, Cap. 27.* ita ait: *Spuma argenti pota, stomacho ventri & intestinis gravitatem cum magnis torminibus affert: interdum & pondere suo intestina vulnerat, urinamque supprimit: intumescit vero corpus, plumbeamque deformitatem concipit.* AETIUS, ÆGINETA, AVICENNA Lithargyri nocentem vim enarrantes eadem fere symptomata, quæ morbum nostrum comitari solent, recensent. FERNELIUS *de lue venerea Cap. VII. ventris & ventriculi torsiones cum Dysenteria crudeli, Febre stipata & subsedita tanta Ventriculi dissolutione & oris oblesione, ut ne contactum vel blandissimum ferre possit, & quæcumque ingerebantur, vel in plumbeum nidorem, vel in mucorem tenuissimum versa mox removerentur.* observavit. Conf. *Obl. Dom. DOZAN in Journal de Medecine Tom. 132 pag. 301.* ubi sermo fit Colica laborantium, qui non modo alvum non contipatam habuerunt, sed per totam decursum morbi ventris fluxum experti sunt, qui ipsis malum levius reddidit, alii per diem semel alvum laxatam habuerunt, & hi in magna

qua-

quantitate. Idem FERNELIUS l. c. *A sesquilibra plumbi loco sacchari in jusculis ab Empirico exhibita, gravissima ventriculi & abdominis tormina vidit.* Conf. & PALMARIUS de *Morbis contagiosis* Cap. 5. ETTMÜLLER Colleg. Consult. Cas. 26. *A saccharo Saturni in quartana exhibita, hanc quidem curatam, ast in ejus locum Colicam convulsivam ortam, narrat.* Cel. FRID. HOFFMANN, *Med. R. S. T. IV. P. 2. Sect. 2. Cap. 5. Immanes colicos dolores a fumis Saturni, ore haustis, atque cum saliva deglutitis describit, in illis inprimis, qui plumbi mineras tractant ac calcinant, plumbumve ab argento in docimasticis furnis separant, ut in Hercinia fit, ubi morbus iste familiaris est.* Idem *Medic. Conf. P. VII. p. 123. Colicam spasmodicam ex usu sacchari Saturni in Gonorrhœa virulenta exortam fuisse refert.* Idem in *Notis ad POTERIUM p. 606. intestinalium dolores a Cerussa observavit.* RIEDLIN *Lin. Med. 31. mens. Maj. an. 1694. ab immodico sacchari Saturni usu virginem ex mania in tanta tormina incidisse refert, ut clamore & ejulatu totam domum compleverit, pinguisque alius & obesa, ferme tota consumpta fuerit.* SCHEUCHZER *Itin. Alp. I. an. 1702. Religiosos Cœnobii Angelimontani prope omnes Colica spasmodica correptos fuisse monet, a vasis culine plumbeis, nullo stanno obductis.* TIMEUS a GÜLDENKLEE figuli meminit, qui, quoties vasa Lithargyrio obducebat, in vehementissimos dolores colicos incidit. *Opp. Pr. L. 7. Cas. 10. STOCKHUSIUS l. c. de figulo narrat, quod, cum calide Lithargyrium tractans, ejus fumum incaute exceperit, mox gravissimis ventris doloribus vexatus fuerit.* SPANGENBERG apud ILSEMANNUM, canes, operariis Lithargyrium tractantibus, domum reversis, blandientes & pollinem vestibus adhaerentem haurientes iisdem cruciatibus affici observavit. VALENTINI *Med. Nov. Ant. pag. 535. a vino lithargyrisata Colicam lethalem proponit.* PAULLINI *Ephemer. N. C. D. II. A. VI.*

B

App.

App. p. 7. Colicam a globo plumbeo deglutito recenset. CUM-
 MENUS *ibid.* D. I. A. 3. Obs. 131. refert, Stannarium,
 cum tractarit plumbum, incidisse in vehementissimos inte-
 stinorum dolores cum tussi sicca, prae cordiorum angustia &
 respirandi difficultate, continua alvi obstructione, membro-
 rum totius corporis tremore & artuum debilitate, qui-
 bus postmodum sequebantur vehementes capitis dolores, den-
 tium mobilitas & nigredo, mentisque stupiditas. GÖEKL
ibid. D. III. A. 4. Obs. v. 30. in se ipso a vino lithargyri-
 futo colicos dolores & febrem putridam observavit. BRUN-
 NERUS *ibid.* Obs. 92. canem a vino lithargyrisato extin-
 ctum refert. WEPFERUS *ibid.* D. I. A. 2. Obs. 39. quos-
 dam Monachos Dominicanos potu vini Alsatici Bismutho
 dulcificati Colica affectos, supervenientibus convulsionibus
 enecatos fuisse monet. WILSON in *Journal de Medecine*
T. VIII. p. 133. refert, non omnes ægros, qui ab as-
 sumto plumbo se male habent, statim alvum constipa-
 tam & insequentem Colicam experiri, verum quosdam
 prius sentire ingratam corporis affectionem & pondus
 ventriculi, inprimis versus orificium superius, eos pul-
 sum insuper parvum, cutem frigidam, sæpe sudore tectam
 glutinante, femora infirma & stupida habere, pusillani-
 mos esse, appetitu laborare depravato, nihil, quod edunt,
 digerere; in hoc statu ægroti adhuc incedere & suis mu-
 niis vacare solent: morbo autem progrediente incipit al-
 vus pertinacissime obstrui, surgunt symptomata, quæ in
 casu nostro leguntur. His etiam accedit ILSMANN
 in *Disp. de Colica Saturnina* Goettingæ 1752. habita. Inte-
 stinorum dolores sunt quandoque acutissimi, ita, ut nec stan-
 di nec sedendi detur potestas, lecto si incubuerint, terram
 vicissim petant, unguibus eam radant, immo fit, ut deli-
 rent præ dolore, vel synoptici fiant, & tali sudore dif-
 fluant, vel adeo in Epilepsiam incidant: ait HOFFMANN
Disp.

Disp. de Metallurgia morbifera H. M. 1697. Inflatio & tensio ventris, quæ crebro observatur, quandoque adeo non occurrit, ut venter, summe licet dolorosus, tamen pressione non magis doleat, e contra abdomem carinæ intar excavatum sit & sæpe manus ipsi imposita musculos ab eo denominatos sese contrahere sentiat. Conf. BONTÉ in *Journal de Medecine T. XVI. p. 313.* TRONCHIN in *Tractatu de Colica Pictonum p. 29.* triste exemplum allegat juvenis, qui, cum incautus molendinam intraverit, ubi cerussa conterebatur, domi redux mox doloribus colicis, qui in partem desierunt, afficiebatur. COMBALUSIER in *Observations & Reflexions sur la Colique de Poitou ou des Peintres, Paris 1761.* casum refert novem miserorum gravissima Colica affectorum, profecta ab esu pane, quod per lignum Lithargyrio obductum coctum erat. Cel. b. VANDERMONDE in *Journal de Medecine T. XIV. p. 491.* cujusdam meminit, qui Colicam hanc expertus est, cum in rheda veheretur, novissime picta; & PHILIP. *ibid. T. XIX. p. 410.* verba facit de Typographo, qui nostro morbo vexabatur, cum litteras plumbeas sæpe ore teneret. Accedere quoque frequenter solent tussis & quandoque, sæpe a violentia, sputum cruentum, halitus stercoraceus, furor quasi maniacus, pedes œdematosi, frigidi, pectus aqua repletum, febres varii generis. Vid. ZELLER *Disp. de vino lithargyrio mangonifato Tubingæ 1707.* habitata. Sed etiam chronica mala inde surrexisse, apud Auctores reperimus: Cæcitas inde orta occurrit apud SPANGENBERGIUM recensente ILSEMANNO. Hydrops apud EUNDEM. Icterus apud STOCKHUSIUM l. c. Idem atque HENCKELIUS Cachexiæ atque Atrophix mentionem faciunt. His quæ memini symptomatibus, assumtum Plumbum frequenter sequentibus, alia quoque adhuc accedere observantur, quo refero gulæ constrictionem ac compressionem, dolorem ac ulcerosam dispositionem ventriculi

& præcordiorum, cum vehementi & inani tam de-
 ciendi quam urinandi conatu atque tenefimo &c. apud Vi-
 CARIUM in *Ephemerid. N. C. D. III. a. 4. Obs. C.*

§. III.

Enarratis jam iis, quæ Auctores circa suos ægrotos
 morbo nostro laborantes observarunt, nunc quoque ea in-
 dicabimus, quæ scdis apertisve cadaveribus sese attentis
 scrutatoribus obtulerunt. ZELLER in *Dissert. cit.* §. 5.
 ea ficit, quæ in cadavere Vietoris, qui illam exitialem
 artem, vina Lithargyrio falsificandi, calluit, & ob dam-
 nosam istius artis divulgationem capite plexus fuit, con-
 spicua erant ita: *Ventriculus erat inflammatus, potissimum
 in sinistra parte; hinc omnia vasa capillaria, quæ hic exi-
 sunt, turgebant sanguine, absque tamen corruptione aut
 corrosione substantiæ. Lien erat putridus ea parte, qua
 ventriculum respicit, ad medium usque corpus suum. He-
 par valde intumuit, ejusque pars concava colorem habuit
 lividum & cœruleum absque tamen corruptione. In pul-
 mone & pleura sparsim inflammationis signa aderant, reli-
 qua viscera salva erant. SPIGELIUS de Hemitribæo: Me-
 senterii inflammationem in cadaveribus nostro morbo defun-
 ctis observavit. WEPFERUS *Ephem. N. C. D. I. a. 2.
 Obs. 39.* idem vidit, & culpam adscribit fomentis emol-
 lientibus & calefacientibus, purgantibusque fortioribus.
 Aliæ quoque observationes anatomicæ, inter quas illa Dn.
 DUBOIS in *Thesi An Colicis figulis Venæsectio?* Paris. 1751.
 docent, talium extinctorum Mesenterium obstructionibus,
 tuberculis, ulcusculisve fœdatum, nec non maculis lividas
 & nigras, sphaceli signa, in ventriculo & intestinis, con-
 spicuas fuisse, non minus reperta fuisse in cadaveribus fesso-
 rum ipsa metalla, quæ vivi effodiebant.*

§. IV.

§. IV.

Hactenus allata ostendunt ea, quæ nostra Colicâ cum reliquis habeat communia, illa cum ab assumpto plumbo oriatur, ejus a reliquis speciebus patet differentia; distinguitur addito a causa, unde originem duxit, epitheto, more inter pathologos jam diu recepto, quo Colicæ species ab earum causa denominant.

§. V.

Circa causam proximam nostri morbi diversos inter seprehendimus Auctores. WILLISIUS *de anima brutorum Cap. XV. p. 205.* morbi metallici causam proximam ponit in copia corpusculorum metallicorum, quæ in medio intestino, sua hospitia nanciscantur, ac deinde ad nervos delata, onere suo importuno eos graventur atque suis angulis & cuspidibus lancinent, huic quoque DUBOIS *l.c.* & COMBALUSIER *l.c.* subscribunt, eos jam refutavit BORDEU in *Journal de Medecine Tom. XVII. p. 118. seq.* Cel. GRASHUIS intestina ipsa accusat is & causam proximam nostri morbi ponit in depravatione, vel defectu, vel abrasione materiæ mucosæ in intestinis hærentis; *Tentam. de Colic. pitton. p. 22.* huic sententiæ quoque accedit Cl. HUXHAM *de Morbo Colico damnoniensi ad calcem observationum de Aëre & morbis epidemicis ab an. 1728. ad 1737. p. 16.* Plures quas Auctores tradiderunt causas proximas adhuc allegat Ill. DE HAEN *de Colica Pittonum, Cap. 1.* Nimis prolixum esset, omnes has refutare hypotheses, earum nulla cum exacte respondeat, sive eis, quæ a plumbo fieri fidæ observationes docent, sive omnibus, quæ ab assumpto Saturno oriri experimur symptomatibus, hinc maxime mihi arridet DE HAEN quando dicit *l.c. Causa proxima sensim nata exsiccatio, rigiditas,*

gilitas, contractio viarum primarum, maxime intestino-
rum: Unde fit, ut ultra vix admittant quidquam, trans-
mittantque per lacteos aut alias absorbentes venas; ut
etiam contenta alimenta retineant, compingant, cumque
sua ipsorum fabrica ceu unam in massam coadunent.
Verum cum hicce Clarissimus Vir paucis solummodo
de ea loquatur, liceat illam fusius rimari & explicare.
Est nimirum caussa proxima Colicæ Saturninæ præ-
ternaturalis exsiccatio & constrictio tunicarum, villosæ &
nervæ, intestinalium; hæ enim cum sint continuationes
Integumentorum, plumbum autem integumentis appli-
catum ista exsiccare uno ore omnes Medici consentiant,
hinc non video, quid impediatur assumere, ab illo inte-
gumenta in tubum cibarium recepta eodem modo affici,
ac si externo corporis habitui applicatur; sed inter inte-
stini tunicas interiores decurrere nervos, easdem & re-
cipere & emittere & ordinare vasa eorumque retia, etiam
nemo ignorat, præternaturaliter igitur exsiccatis variis
portionibus villosæ, nervi sub ea decurrentes inde irri-
tantur, idque eo magis, quoniam totus tractus intesti-
nalis partim per motum peristalticum, partim sub respi-
rationis negotio, partim sub variis thoracis & femorum
motibus continuo agitur, insuper omnia, quæ ingeri-
mus, epithelium premunt; sed præterea valis constrictis,
retibus pressis, circulatio rite non continget, nova, quæ
nervos irriter, caussa surgit, laceßiti nervi dolent, a do-
loribus diversimode caput afficitur, sæpius irritati nervi
paralytici fiunt, cf. Ill. GAUBII *Pathol.* p. 351. Furculorum
nervorum irritationes ad truncos & ipsam unde hi oriun-
tur encephali partem continuari in physiologicis evinci-
tur, hinc irritationes præternaturales in nostro morbo
ipsam medullam spinalem afficere nullus miror, & cum
ista artubus prospiciat, hos quoque affici non difficulter
perspicio, sed perspicio quoque rationem plurimorum ali-
orum

rum symptomatum, quæ nostro morbo accedunt. Inde etiam fit, quod vasa in- & exhalantia lædantur, ab excicata tunica villosa, & ideo impediatur exhalatio, hinc necessario oriri debet defectus liquoris entrici, inde læsa digestio, læsa sæcum excretio, chylus quoque debito modo non perficitur & ad sanguinem defertur, hinc vitia a digestionis & nutritionis defectu, febres intermittentes, cachexiæ, atrophiciæ &c.

§. VI.

Causam proximam ejus, quam tracto, Colicæ, in exciccatione tunicæ villosæ posui, hanc, cum præter plumbum, plurimæ adhuc queant causari causæ, hinc facile patet, Colicas Saturninæ simillimas posse surgere, licet nec mica plumbi fuerit assumpta. Vasis sub Colica sanguinea sanguine turgidis, minuta hinc perspiratione, durior villosa potest evadere, qualis etiam a bile acri rosæ facile fieri queit, aut ubi acrimonia qualiscunque morbosa in intestina fuit delata, hinc vix non omne hæcenus cognitum Colicæ genus tandem eadem ac saturnina potest producere symptomata; sed eæ quoque substantiæ, quæ constringentes vires edunt, talia excitare poterunt, & excitasse leguntur; hinc patet, cur aliquoties a Vino aut alio potulento austero Colicam, saturninæ, simillimam ortam legamus. Talis Pictones ante centum & quod excedit annos populariter vexavit, egregie a CITESIO descripta, cujus tractatum, quod neutiquam potuerim obtinere, doleo; sed & id duco, esse dolendum omnino, quod egregii Viri tempus incremento artis adeo pretiosum, consumserint liti penitus inani, cum de convenientia & differentia Colicæ Pictonum & Picorum sive Saturninæ disputarint. Utraque eandem causam proximam, eandem symptomata habet, eandem etiam medendi methodum

dum exigit. Pictones laborabant morbo excitato a villosa per vina austera exsiccata, Pictores eodem corripuntur ob pigmenta ex plumbo parata, quibus utuntur. Nimis certe præcipitanter WEPFFER Colicam, quæ a vino acido orta dicitur, semper vino lithargyrifato adscribendam putat, hinc etiam forte addit, nec alicujus momenti mihi videtur, quam Cl. BONTÉ in *Journal de Medecine T. XVI. p. 509.* Colicæ Pictonum in metallicam & vegetabilem tradit distinctio; ex quocunque igitur regno descendat substantia, quæ villosam exsiccat, semper idem morbus surget.

S. VII.

Cum nostra Colica oriatur a villosa exsiccata; hæc autem a multis causis possit exsiccare, hinc signum pathognomonicum Colicæ Saturninæ dare nullo modo valeamus. Si evolvinus Auctores, tunc varia quidem signa characteristica apud eos invenimus; sunt, qui Paresin pro signo pathognomonicum habent, verum, nonne & aliis Colicæ speciebus hæc accedit? vid. HOFFMANNUS *Med. Rat. Syst. T. IV. P. II. S. 2. Cap. V.* & quomodo possumus illam pro signo pathognomonicum habere, quæ, & quidem non semper, demum morbo supervenit? quærimus cum Dn. DOZAN *Journal de Medecine T. XIII. p. 306?* Alii abdomén carinæ instar excavatum atque umbilicum introtractum pro tali signo venditant, inter quos jam antea citatus Dn. BONTÉ *Journal de Med. T. XVI. p. 313.* pertinet, qui & per hoc signum metallicam a Colica vegetabili differre contendit. Hic lubentes profitemur, nos, cum Colica Pictonum vegetabilis apud nostrós cives rarissime observetur, de hac re nihil certi adhuc statuere posse, verum cum in nostro casu venter inflatus fuerit, & illum etiam alii Auctores talem

talem deprehenderit; inter quos GOCKEL Beschreibung des durch die Silberglätt verſiſten ſauren Weins und der davon entſtandenen Weinfrankheit, Ulm, 1697. atque FORESTUS *Obſ. L. XXI. p. 25.* alique, neutiquam dubitamus & hic a Cl. Auctore recedere, & pro confecto habemus, nunquam aliter ad veram noſtræ Colicæ exiſtentiam concludi poſſe, quam, quando certi fumus, plumbum in corpus fuiſſe aſſumptum. Colica, quæ aggreditur artifices plumbum tractantes, quales ſunt Metallicolæ, Vitriarii, Aurifabri, homines varios circa æs vel ſtannum labores, ad quos plumbum adhibetur, inſtituentes, Pictores, Inuſtores, Figuli &c. ſuſpicionem, quod Saturnina ſit, recte movet, neutiquam tamen omnes inteſtinatorum dolores, quibus hi homines afficiuntur, ſtatim pro Colica Saturnina ſunt habendi, cum iidem etiam, cum homines ſint, reliquis Colicæ ſpeciebus poſſint utique corripri. Colica, quæ excipit uſum vini Lithargyrio mangoniſati, circa quod maxime ZELLER in *citat. Diſſertatione*, & TRONCHIN *Libr. cit. p. 30. ſeq.* legendi, aut aquæ per fiſtulas plumbeas ductæ, aut ciborum in vaſis plumbeis aſſervatorum vel preparatorum, de quibus conf. MERCURIALIS *Var. Lect. Libr. II. Cap. 9.* MATTHIOLUS *de Rat. deſtill. aquas* & SCHULZ *Mors in Olla*, Halæ 1722. p. 31. pro Saturnina etiam recte habetur.

§. VIII.

Quando itaque juſto animo perpendimus, quantus & quotuplex ſit numerus eorum, qui noſtra Colica afficiuntur, non difficile erit intellectu, pro variis rerum circumſtantiis, aut ſingula ſubjecta eadem laborare, aut cuidam populo illam familiarem fieri, aut denique toti regioni communicari poſſe. Sit enim hic vel ille artifex,

C

qui

qui ea laboret, erit sporadica; ponamus autem, exempli loco, quandam populum potum lithargyrisatum potare, fraude alicujus malefici deceptus, tunc grassabitur endemice, quando hocce malum sese dein toti forte regioni communicaverit, tunc epidemicam illam vocabimus. *ÆGINETA Libr. III. Cap. 43.* suis temporibus talem Colicam Romæ populariter grassatam fuisse refert. *RIOLANUS* eandem endemice grassatam observat in Melun Regionis Parisinæ. *BRUNNER Eph. N. C. D. III. a. 4. Obs. 92.* Colicæ epidemicæ a vinis lithargyrio infucatis mentionem facit. Conf. *HOFFMANNI Obs. §. 2. allegata.*

§. IX.

Prognosis hujus morbi variis modis absolvitur:

1^o. Quo fortiores sunt dolores, eo citiora atque certiora evadent symptomata, a nervis oriunda. Soli enim nervi dolent.

2^o. Quando a dolore, cordis atque arteriarum vis intensior redditur, tunc augetur motus sanguinis progressivus, hic auctus motus sanguinis, quando cum actione quadam læsa conjunctus est, febris ideam sistit, hinc febrem nostro morbo sæpenumero junctam esse haud miramur. *FERNELIUS l. c. ventris torsiones, cum crudeli dysenteria, febre stipata* observavit. *Ardorem ventriculi cum febre continua* proposuit *ZELLER l. c.* *ILSEMANN l. c. febres biliosas, putridas, imo inflammatoriam intestinalem, que in abscessum abiens, quandoque, quamvis raro morte finiatur,* exhibet. *GœCKEL febrem putridam* observavit v. §. 2. Calorem & sitim *HENCKEL* inter symptomata nostræ Colicæ retulit, individuos febris comites; accidit autem sæpe, quod febris, quæ in hisce subjectis fortior deprehenditur, in aliis leviores motus exerceat, in quibusdam nulla plane in pulsu percipiatur, ut etiam quandoque nec sitiant, nec calorem experiantur ægri, ex
Obs.

Obs. COMBALUSIER, id vero non impedit, quo minus, eodem affirmante, tamen stagnatio sanguinis in vasis arteriosis, ibi inflammationem absconditam, Galli vocant *fourde*, creare possit, quam, si res in pejus cedant, a vasis hisce sanguineis in quibusdam locis pressis & moratis, mox in gangrænam partium produci posse, nemo est, qui ignoret. conf. HENCKEL p. 144. seq.

3°. Num Paresis dolori colico superventura sit & quando? quæritur in prognosticis. Colicam in Paresin aut Paralytin veram abire, docet HOFFMANN *Med. Rat. Syst. l. c. p. 326.* ultimam observavit THONERUS *Obs. Med. l. 11. obs. 7. & 8. p. 89.* & innumeri alii. Lethalem quandoque fieri patet ex EPH. N C *Dec. 1. a. 2. obs. 39.* Non omnes autem, qui Colica laborant, etiam Paresin experiuntur; sunt, qui a Colica liberati deinde ab omni malo immunes manent, illi vero Paretici fient, qui aliquoties jam paroxysmum Colicum sustinuerunt, uti & ex nostro casu patet; in his formicationes artuum, eorumque imbecillitas indicio certo sunt, Paresin non longe ab ipsis abfore. *Cessante aliquanto doloris vehementia, ægrotus perturbationem quandam per medullam spinalem sentit, qua brachiorum ac crurum nervis propagata, imbecillitate statim sensim afficiuntur, indies crescente, donec brevi in Paralytin confirmatam desinit.* Vid. ALLEN *Synopsis universæ Medicinæ pract. p. 236.*

4°. Prouti plumbum largiori aut parciore dosi, aut diutius haustum fuit, prædicere valemus de bona aut iniqua nostri mali indole. Quando venenum vel una vel divisa dosi large corpori ingestum fuit, tunc quoque violenta orientur symptomata, quando autem parcissima dosi, verum sæpius repetita, deglutitur, tunc fit, ut tunica villosa sensim sensimque exsiccet, nervi intestinales lento gradu sua sensibilitate priventur, sine quod irriteretur inde medulla spinalis, tali in casu nulla orietur Colica Saturnina,

verum miseri tales tandem morbo lento efficiuntur ob nutritionem deficientem; quippe exsiccata tunica villosa recipiendo nutritio succo impar fit: tale venenum lentum constituit decantatus ille *Pulvis successionis*, qui Saturninis concretis suam debet originem, docente ERNDL in *Dissertat. ex Veneno salus*, Lips. habita, *Thes.* 21. affirmante TEICHMEIERO *Institut. Med. Legal. Cap. 20. p. 168.* conf. quoque *Causas célèbres T. 1. p. 213. Histoire de la Marquise de Brinvillier, convaincue d'avoir empoisonné son Pere & ses deux freres & d'avoir attenté à la vie de sa Sœur.*

5°. Variat iudicium de morbo nostro ferendum; ratione temperamentorum nec non climatis diverſi; quo siccius enim est temperamentum, & quo calidius clima, eo gravior existet Colica Saturnina, & contra; etenim ubi inopia humorum laborant subjecta, ibi tunica villosa jam naturaliter ficca, ob defectum partis sanguinis aquosæ eo magis a plumbo exsiccante, læditur. Variat quoque iudicium, prouti plumbum incidit, vel in sanum vel in ægrotum, robustum vel debilem, modicum alias vel minus, scorbuticum, hypochondriacum, nephriticum, febricitantem &c. nec non prouti æger in ipſo morbo sese præceptis Medici accommodat. Conf. CAMERARIUS in *Dissert. de Colica Paretico-Epileptica*, Tubingæ, 1698.

6°. Si jamjam vertiginibus correptus fuit æger, minus certe succedit sanatio, si ulterius progressa fuit, penitus mortifera fere evadit. Conf. WILSON in *Journal de Médecine Tom. VIII. p. 135.*

7°. Denique circa recidivam paroxysmorum solliciti id prædicere possumus, quod jam Clar. HOFFMANN de *Colica in genere M. R. S. T. II. p. 84.* & deinde cel. GRASHUIS de *Colica Pittonum*, annotavit, nimirum, quod ii, qui semel vel iterum dolorem Colicum experti sunt, facile in eundem iterum incidant.

§. X.

§. X.

Si unquam morbus existit curatu difficilis, est certe nostra Colica Saturnina, in id omnes Auctores consentiunt; & ob hanc causam & ob variam, quam sibi de morbo finxerunt, ideam, in varias partes circa medendi methodum abierunt, variæ eorum sententiæ ad duos maxime ordines poterunt reduci, quos exponam, iisque expositis eam, quæ mihi præ reliquis rationalis videtur, medendi rationem subjungam.

§. XI.

Sunt, qui ex hypothesi particulas metallicas omni vi adhibita expellere tentant, atque hunc in finem nostro morbo emetica & drastica fortissima opponunt; alii e contra horum audaciam valde improbant, mitissima via incedunt, atque blanda solummodo demulcentia, emollientia, oleosa & saponacea in usum vocant.

§. XII.

Methodus drasticis ægrum tractandi, sequenti modo a Cl. SAUVAGES *l. c. p. 200.* describitur. Quando Medicus ægrotum visitat, atque cognoscit, ipsum Colica Saturnina laborare, tunc statim clysmata ei præcipit, ex decocto foliorum Sennæ atque pulpæ Colocynthis, quorum Dosis ad drachmas duas statuitur, huic addantur Diaphanici Drachmæ sex, Benedictæ laxativæ Semuncia, Mellis Mercurialis Unciæ duæ & persæpe eadem quantitas Vini Emetici. Post septem horarum decursum iterum injicitur clysmata ex portione anatica Olei Nucistæ & Vini rubri, unciis nempe sex, insequenti die emeticum ex Tartari Emetici Granis quatuor propinatur ægrotato, quando vero hoc agere incipit, tunc extemplo por-

rigitur drachma dimidia Theriacæ cum Laudani Opiati grano; die tertio iterantur enemata; laxatur postea ægrotus cum uncia dimidia Diaphænici, drachmis duabus Diapruni, uncia una syrupi de Rhamno, & unciis sex Apozematis, quod conficitur ex Cuscutæ, Polypodii & Sennæ ana uncia una, Seminum Anisi & Cremoris Tartari ana drachmis duabus, coctis in aquæ libris duabus ad viginti circiter uncias, vesperi repetitur narcoticum, hæcce medicamenta sustinet Ptifana sudorifera & potus cordialis cum Lilio Paracelsi, maxime si dolores supersint aut immineant, vel superveniat Paralysis.

Hæc est illa curandi methodus, quam in Nosocomio Charitatis, quod Parisiis est, DUBOIS frequentissime adhibuisse, docente BOUVART, SAUVAGES docet. Eandem proponunt DUBOIS *Thef. cit.* ANONYMUS TRONCHINI Censor, DN. DOAZAN *l.c.* DN. PHILIP *eodem Diario T. XIX. p. 41.* DN. COMBALUSIER, DN. BOUVART & C. Nec desistuntur hi Auctores assensu veterum, inter quos FORESTUS *Chf. L. XXI. p. 22.* RIVERIUS *Prax. Med. L. X. Cap. 1. p. 446.* & c. allegari merentur, qui etiam curationem per vomitoria & purgantia fortiora in paroxysmo commendant. WILSON Anglus *l.c.* quoque curationem per vomitoria & drastica laudat, immo, quod miramur, Germanus celebris Auctor Diarii Medici, cui titulus der Arzt, *Tom. VII. p. 67.* hanc methodum primo intuitu crudelent, verum valde rationalem prædicat. Varia pro ejus præstantia hi afferunt argumenta, quorum præcipua sunt, quod hi, qui leviori methodo tractantur, ægrius, imo sæpe nunquam curentur, quia oleosa & relaxantia tonum intestinorum enervatura sint; qui jam satis sit enervatus, porro, quod cito sic curentur ægri, cum ordinario post decem vel duodecim dies curati iterum ex Nosocomio exeant; curationem quadridui exhibet DUBOIS, nec non quod hac methodo tractati in tanta quantitate fuerint sanati, &

& tam paucis illa funesta fuerit, ut spatio 23 annorum ex 1200 hominibus, paullo tantum plus, quam 20 perierint. Fufiorem harum, qui defideret, explicationem, adeat ipfos auctores, a nobis supra allegatos.

§. XIII.

Lenitiva methodus §. XI. oleosis & relaxantibus absolvitur, qualia sunt Oleum Amygdalarum dulcium ad plures uncias in die, Clysmata oleosa, Fomenta emollientia, Inunctiones abdominis, item mucilaginosæ, obvolvencia, saponacea, &c. quibus ad dolores sedandos etiam anodyna junguntur. Hæcce methodus ÆGINETÆ jam placuit, qui etiam adipem asnerinum vel gallinaceum clysteribus admisceri vult, *Lib. III. cap. 43.* Cel. DE HAEN saluberrimum oleosorum & pinguium usum esse monet, *R. M. P. I. p. 114.* FERNELIUS *l. c.* lac asininum commendat; decocta herbarum emollientium, Cl. BÜCHNER *Diff. de optima morbum saturninum curandi methodo H. M. 1748.* ut & sudorifera, diapnoica; Colicam hanc per balneum aquæ dulcis in figulo curatam habet MERCKLIUS *in Eph. N. C. Dec. 11. a. X. obs. 188.* FRICCIUS *de Venenis C. XIV.* Thermas Piperinas, Ferinas commendat. MILO apud CITESIUM, quem ex HAENIO allego, Matronam post alia remedia frustra adhibita, solo oleo ac butyro, diu adhibito curavit. Cel. ALLEN *l. c. p. 239.* scribit, ad alvum referendam cathartica leniora forma liquida, frequenter repetita optimè conducunt. Cl. HUXHAM *p. 31.* monet, quod si alvus non respondeat, oleus emolliens clyster injiciatur, quo & intestina reddantur lubrica & stercora molliora, mox vero *pag. 32.* inquit, medicamenta etiam leniter purgantia per aliquot dies continuos exhibenda sunt. Placuit insuper hæcce methodus pluribus aliis Celeberrimis Viris, inter quos
BAGLI.

BAGLIVUM *Opp.* p. 587. SENNERTUM *Libr.* III. P. II. S. 2. C. 2. p. 268. HOFFMANN, HENCKEL, HEADO, ASTRUC, TRONCHIN, LE TELLIER nominasse sufficiat, de quibus ultimis vid. *Journal de Medecine Tom.* XVIII. p. 41.

§. XIV.

Nobis videtur, curationem aliam in paroxysmo, aliam extra eundem, instituendam. In paroxysmo utique necesse videtur, omnem curam in id intendere, ut contractiones spasmodicæ tollantur; id fiet per relaxantia, oleosa, mucilaginosa, gelatinosa tam interne assumta, quam externe sub forma cataplasmatum &c. usurpata, nec non per anodyna; tum erit inflammatio præcavenda per Venæsectiones & dietam tenuissimam; cuilibet hic perclarum erit, quam malum sit in paroxysmo vomitoria & drasticæ porrigere, cum sine dubio spasmodicæ contractiones, jam obtinentes, summe augeantur, & inflammationem facile inducere possint. Nec quem hic moretur indicatio, quæ in variis venenis omnino obtinet, quod venenum per emetica sit ejiciendum; plumbum metallum ab aqua & mitissimo quoque acido solubile diu in intestinis neutiquam moram agere potest, sed corpori naturalibus excretionibus sponte excernitur, remanente, quam caussaverat exsiccatione. CITESIUS jam monet p. 221. purgationem præsentem dolore institui non debere. Cl. DE HAEN vidit *R. M. P.* III. p. 73. Colicam Pisonum male emeticis, pejus fortioribus purgantibus tractari. Cl. HOFFMANN in *Diss. cit.* dicit, purgantia omnia irritò effectu propinari, & malum sæpius exasperare. NEBELIUS observavit ex Colica post assumptum purgans drasticum cœcitatem ortam fuisse. Vid. *Eph. N. C. D.* II. a. III. *Obs.* 81. p. 118. *seqq.* WEPFER *ibid.* l. c. p. 71. purgantia dolores exasperare, Parefin, immo mortem accelerare, a laxantibus malum magis ingravescere ait KOCH in *Diss.*
de

de Colica. Cl. BÜCHNER in *Diss. cit.* inquit: *Præclare falleretur, qui acrioribus purgantibus uti vellet, hæc enim spasmos potius auferent, alvumque redderent obstipatiorem.* Cel. GRASHUIS quoque drastica rejicit, p. 54. Quando vero opponunt Emeticorum & drasticatorum patroni, quod methodo lenitiva ægre & sæpe nunquam curentur ægri, tunc egregie falluntur. Cel. TISSOT in *Obs. de Colica Saturn.* sine Emetico tres homines curavit. Cl. HAEN l. c. optime oleosis nostram Colicam curari auctor est, cel. GRASHUIS p. 42. quoque pro demulcentibus militat, immo quod maxime Dn. DEBOIS, ejusque assæclarum vim infringit, hoc est quod in ipso Charitatis Nosocomio Dn. BORDEU a Collegæ methodo differat, lenitivam optimo cum successu exercens. Vid. *Journ. de Med. T. 17. 18. & 19.* optime omnino de hac re loquitur Dn. DE GRANDVILLIERS in eodem *Diario T. 19. p. 29. sq.* quando totam hanc theoriam de Emeticis & drasticis falsæ hypothesei originem debere affirmat, ita loquens: *Il seroit à souhaiter, que les expériences se multipliasent en faveur de la méthode calmante, elles contrebalanceroient & détruiroient peut-être le crédit des Emetiques, dont le préjugé fait encore respecter l'usage. Combien de Medecins se feroient encore un crime, d'avoir recours aux adoucissans, parcequ'ils supposent des corpuscules grossiers tenacement inherens aux parois des intestins, & qu'on ne peut chasser que par des secousses, qui ajoutant encore à l'énormité des douleurs, ils ont peine à concevoir, que pour guerir ici, ils suffit de détruire l'eretisme du genre nerveux.* Verum & id huic methodo optime favere videtur, quod eam cito ægri sint curati (§ 12.) Audiamus circa hanc rem Exc. DE HAEN Tom. III. Cap. II. ita loquentem: *Quando solummodo methodo drastica symptomata silent per tempus, ut ex Xenodochio egrediantur, tunc morbum curatum esse dicere tamen non possumus, cum facile recidivet, materia adhuc supersite iterum tragediam ludere incipiente, in id & ipsi hujus methodi patroni consentiunt, quod, moleculis metallicis ex intestinis vi expulsis, tunc symptomata per aliquot tempus sileant, donec alix, in menterii, ut ipsis placet, glandulis morantes, horum locum*
D
occu-

occupantes, præterita iterum mala inducunt. Cum spasmos relaxandos esse in paroxysmo suadeam, utique etiam assentior illis qui Anodyna & illorum principem *Opium* commendant: per illa enim dolor redditur tolerabilis, sequitur exinde intestinorum relaxatio, eorumque motus peristalticus, fit constans, regularis, nec interruptus, nec perversus. ÆGINETA l. c. *Opium* jam laudat & quidem tali modo, quem COMMENT. LIPS. Tom. VIII. p. 490. atque HUXHAM p. 29. optimum declarant, scilicet, cum laxantibus mixtum, qualis combinatio post RIVERIVM, ERASTUM, quin ipsum GALENUM celebris est MORTONO, qui frequenter dejectiones a pilulis RUFII cum Laudano citat; de his v. CAMMERARII *Diff. cit.* Sunt quidam Auctores, qui *Opium* usum rejiciunt, qualis est BAGLIV. quando dicit: *Opium sudores excitare, nihilque magis proprium esse Paralyseos excitare, l. c. p. 100.* immo DOLÆUS in *Eph. N. C. D. II. A. 5. Obs. 138.* ab assumtis XII. granis Theriacæ coelestis in Colica mortem sequutam dicit, verum respondet citatus HUXHAM p. 34. *quod sudores ab Opio non sint Paralyseos causa, sed effectus, & Cl. ALLEN l. c. p. 239. scribit: Opiata Paralyseos accelerare, nonnulli opinantur, sed longe errant; indubitata experientia doctus, larga manu illa non modo innocua, sed semper cum fausto successu exhibui.* Cl. GRASHUIS *Opium* statim ab initio dat, l. c. p. 41. Cel. TRALLES de *Opii usu salubri & noxio*, p. 247. exemplum feminae adducit, quæ leucorrhœa laborans, a Medico alias celebrato, *Saccharo Saturni cum Oss. Sepiæ in forma pulveris redacto, tractata, in talem Colicam eam incidisset, quæ omnia alia remedia respicisset, tandem Opio feliciter fuit curata:* utique vero circumspicte cum *Opio* agendum est. HUXHAM certam dosim haud constituit, dicit enim, quod eadem *Dosis alterum soporet maxime, alteri contra det dulce furere;* in nostro climate ultra granum dimidium ad unum pro dosi vix ascendere licebit.

§. XV.

Methodi drasticæ patroni quam maxime averfantur venæsectionem, siquidem ægris, pro sua Theoria, cum sanguine vires minime detrahendas esse cogitant, quas omnes e contra ipsis opus esse ajunt ad moleculas metallicas excutiendas, remedia

media drastica in actione juvando. cf. Cl. DUBOIS *Thef. Paris.*
Non ergo Colicis sigulis Venæsectio, & WEPFERUS Epb. N. C.
D. I. A. 2. Obs. 39. dicit, Venæsectio, quam CHIFLETIUS
commendat, aliquibus Parsim accersivit. Cl. HUXHAM eam
nocere ait, & loco, quod utilis sit, Paralytim accelerare, præci-
pue quando multus sanguis detrahatur, si unquam illam præcipere
lubet, necesse est, ut ager sanguine abundet, idque fieri ab initio
morbi debet, p. 25. Instituti mei ratio non permittit, id quod
fana ratio fuadet, prudens experientia semper evincit, hic
multis diducere, Venæsectionem nempe ab omni dispositione
ad inflammationem indicari, unum & solum remedium esse,
quod eam præcaveat; Naturæ vires medentes in morbis inflam-
matoriis a sanguine abundante morantur, hoc detracto demum
agere valent. BALLONIUS Epid. L. I. habet exemplum femi-
næ paralyticæ, cui in nostro morbo feliciter sanguis fuit missus,
tale exemplum quoque apud HENCKEL l. c. p. 146. occurrit,
& BAGLIV. l. c. p. 100. in Colica convulsiva pertinaci & spas-
modicis doloribus ventris ab acri & erodenti materia prods-
ctis præstantius nil vidit, quam secare venam brachii &c. &
Dn. BORDEU in Animadversionibus in Dn. DUBOIS l. c. de Dn.
LE Hoc scribit: On a vu ce grand Praticien dans la Colique
Metallique, faire saigner ou au bras, ou au pied, ou à la veine ju-
gulaire, suivant les accidents, & lorsqu'ils se trouvoient de nais-
re à exiger la saignée.

§. XVI.

Hactenus ægotum in paroxysmo consideravimus, plane aliter ve-
 ro res se habet, quando extra illum est constitutus. Officium Medici
 extra paroxysmum est, ea, quantum potis est, femovere, quæ novo
 paroxysmo orituro ansam præbere poterunt, hancce regulam ad no-
 strum casum applicare nunc oportebit. Impedimentum, quod no-
 stri morbi colici causa existit, est juxta §. V. præternaturalis ex-
 siccatio villosa atque contractio nervæ intestinorum, hæcce, im-
 pris villosa, cum munere suo ulterius fungi non possit, tanquam inuti-
 le pondus rejicienda est, hinc in id allaborare debemus, ut eam
 exsiccata a partibus adhuc sanis separemus, ut in ejus locum
 iterum nova generetur, plane cum in modum quo novas epidermidis
 squammas detritis succedere videmus; vix enim sperare possumus,
 ipsam per remedia applicata rursus emolli posse, ut apta reddatur,
 alieno suo officio fungi, quod clare percipimus in casibus externis, cum

nequaquam sicca epidermis per applicata remedia iterum emolliiri queat, hancce separationem optime succedere credimus per remedia purgantia validiora, nisi contraindicantia eorum applicationem prohibeant. Eorum vero exhibitionem necessario excipere debent tam alimenta, quam medicamenta mucilaginoso & gelatinosa, quæ attenuatam villosam defendant. Ubi vero drastica exhibere non licet, hæcce separatio tentanda erit per sæpe repetitum usum catharticoꝝ saponaceoꝝ, vix enim una aut altera dosis eorum sufficiet, verum per aliquod tempus repetitus usus forte scopum adimplebit, quemadmodum

Gutta cavat lapidem, non vi sed sæpe cadendo.

§. XVII.

Quod attinet ad dietam atque prophylaxin in hoc morbo observandam, commendanda omnino sunt ægrotis in paroxysmo eupeptæ demulcentia & simul nutrientia, ut farinosa ex lacte cocta ova forbilia, vid. GRASHUIS p. 55. facile digerenda juscula & similia, extra eum vero, quando intestinorum tonus debet restitui, tonica, alimenta paullo duriora & panis bis coctus adhibeantur; abstineant ægri a cibis acrioribus, bibant vinum generosum modicis haustibus, ita Cl. WEPFER *Hist. Apopl.* 17. plures in Monasteriis Colicis doloribus cruciatus propinato vino salubriore saniores vixisse rariusque istos cruciatus perpeſſos esse docet. Cf. *Eph. N. C. D. I. a. 2. obs. 39.* aquarum medicatarum usum diuturnum suadet GRASHUIS p. 59. aëris quoque quam maxime ratio habenda. CRÆSTUS a mutato aëre Colicam præservari & curari dicit; ipsi assentitur DROSTIUS, frigus vero sollicitè vitandum est. Tristitiam, terrorem & iram veneni instar fugiant, atque summopere compeſcant, ex quibus non moderatis animi pathematibus recidivam Colicæ, lethalem, observavit GRASHUIS p. 59. Corporis exercitia solito majora vitent. Nostrium non est, hic illam præservatoriam curationem recensere, cui præcipue metallurgi respectu suorum laborum sese adstringere debent, cum præcipue de singulis nobis sermo sit; qui ea scire cupit, adeat sæpe citates Cl. Viros HENCKELIUM & ILSEMANNUM. Unum vero prætermittere haud possumus, quod Cel. HOFFMANN *M. R. S. T. IV. P. 2. S. 2. c. 5. p. 334.* tradat, *in hac Colica non inveniri præstantius præservativum, quam mane sumentum jusculum pingue*, quod ipsum Exc. DE HAEN *R. M. P. I. p. 115.* affirmat, ita scribens, *optima fossorum prophylaxis in eo consistit, ut prima luce, lardum cum atro pane præsumant. estque olei, pinguisque juris, cum nullo pane, usus, optima istis opificibus prophylaxis.* Oleosa cum egregie exsiccationem membranarum defendant, hinc & ex nostra theoria, meliorem prophylaxin non novimus proponere. Quid igitur impedit; quo minus illud jentaculum etiam nostris figulis, præcipue illis diebus, quando lithargyrio sua vasa obducere volunt, quam maxime commendamus; certo sumus persuasi, illud fore, uti & fossorum, ita & eorum prophylaxin summam.


T A N T U M!

ULB Halle
005 361 710

3







B. C. D.

CASUM ÆGROTI
COLICA SATURNINA
LABORANTIS

CONSENSU
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO
GRADU DOCTORIS

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

AD D. V. SEPT. MDCCLXIV.

IOANNES PHILIPPUS KOENIG
BUXOVILLA - HANOICUS.

H. L. Q. S.

ARGENTORATI

Typis IOANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.